

M. PAULI JUUSTEN,  
EPISC. QUONDAM AB.

CHRONICON EPISCOPORUM  
FINLANDENSIVM,  
ANNOTATIONIBUS ET SYLLOGE MONU-  
MENTORUM ILLUSTRATUM.

CUJUS

PARTICULAM XL,

CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

M. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

ELOQV. PROFESSORE REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUMANIOR.

HIST. ET ANTIQUITT. MEMBRO,

*Publicæ bonorum censuræ* submittit

GABRIEL DOMANDER,

*Stip. Reg. Tavastensis..*

IN AUDITORIO MAJORT die X Decemb.

A. MDCCXCVI,

Horis ante meridiem consuetis.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

THESIS I.

**H**audquaquam Ornatus orationis unum hoc spectat, ut oratio placeat & delectet; sed illius vim, ad sensus auditorum afficiendos, flectendosque eorum animos, maxime respicere contendimus.

*Thef. II.* Quamvis Memoriae exercenda artem inter partes Rhetorices minus commode referri existimemus; hanc tamen facultatem oratori adeo necessariam esse judicamus, ut, cui illa desit, is optime sibi consulat, si munus oratoris omnino non attingat.

*Thef. III.* Parum vero probandum eorum censemus consilium, qui operam orationibus sacris memoriter ediscendis & recitandis hactenus apud nos adhibitam, minus necessariam habentes, Orationes sacras de scripto recitari volunt.

*Thef. IV.* Licet facultas loquendi ad cogitata nostra cum aliis communicanda necessario non requiratur; dubium tamen non est, quin illa praestantissimum sit adjumentum, haec non minus aliis patefaciendi, quam menti ipsi sistendi, & magis perficiendi.

*Thef. V.* Ad jurium jurandorum religionem & sanctitatem tuendam non parum pertinet, ut caveatur, ne homines severioribus juramentis, aut ad diligentiora exactioraque officia perficienda jurati obstringantur, quam quæ præstare iis datum est; secus enim si fiat, desperatio eorum perfecte servandorum, homines ad ea primum laxius interpretanda, deinde negligentius servanda, impellit.

*Thef. VI.* Recentioris temporis Philosophi, qui de felicitatis nostræ quærendæ studio minus faventer judicant, quomodo hypothesin suam cum canone, experientia non minus quam ratione probato, *Hominem nihil omnino posse appetere, nisi quod bonum sibi videatur*, conciliare queant, fatemur nos non perspicere.

*Thef. VII.* Quamvis cæteros auctores classicos Latinos sibi debita haudquaquam privare velimus laude; eloquentiae tamen studiosis in primis *Ciceronem* assidue legendum, non uno nomine commendamus.

eius fuerit, dubium videri potest: quod hunc nonnisi dignitatem majorem, novumque honoris nomen, uni Canonicorum priorum attulisse, Canoniarum vero aut etiam Præbendarum numerum non auxisse, credi queat (681)?

s\*) Errorem hoc loco Auctori nostro obrepssisse, atque hinc *Magno Episcopo* male tribui, quod antecessor suus *Conradus* jam fecerat; ex iis quæ supra p. 562-565 adduximus, liquere putas? Si enim vel ita explicare hunc locum velis, ut repetiisse & severius inculcasse consilium ab antecessore suo initum dicas; obstat tamen huic rationi quod totius rei, in vita *Conradi*, nulla omnino ab Auctore facta sit mentio, quodque de parte Decimaru[m] Ecclesiasticarum Pauperibus olim debitaram, Canonicis residentibus assignata, ne verbulum quidem habeat: adeo ut non plenissimam de historia hujus consilii habuisse cognitionem videatur? Quod sane mireris! An *Magni*, tum Præpositi, consilio & opera, licet *Conrado* adhuc pedum Episcopale tenente, res perfecta fuit? Non constat.) Cfr. supra p. 565.

De *Sacello Omnim Sanctorum*, quod hic Episcopus in tempore Præpositoræ suæ, impensis Ecclesie fecit erigi, supra (p. 551) pauca diximus. Verba autem Auctoris a-

K k k k

perte

(681) Quod idem fere in Upsaliensi quoque Ecclesia evenisse, ostendit vetus *Chronicon* cit. (Ed. SCHEFFERI p. 165)? In Aboensi certe Ecclesia Præbendarum aliquam peculiarem huic muneri attributam haud fuisse, non modo ex defectu literarum quarumcunque idem commemorantium colligimus, qui in *Registro Eccles. Ab.* observantur; sed etiam inde, quod in Libro Rationum Capituli, saxe laudato, tempore reformatæ apud nos Ecclesie confessio, nulla omnino talis Præbenda sit mentio. Videtur itaque Decano nunc hæc nunc illa Præbendarum antiquiorum (aliquando forte plures?) cessisse?

perte indicant, neque Episc. Conradum, neque *Magnum*  
*suo sumtu illud construxisse*; licet uterque benignum se  
in illo consilio urgendo atque adjuvando præstiterit;  
quod *Conradus*, (*sub quo opus perfectum fuit, quique illud consecravit, & horas Virginis Mariae in hoc Sacello perpetuo decantandas instituit*). *Parochiale Ecclesiam in Numinis* (prope Aboam) *cum singulis obventionibus & redditibus Episcopalibus & Curati memoratae Capellæ incorporaravit* (682.; *Magnus* vero (qui & auctor & effector operis fuerat præcipuus) illud & bonis prædialibus magnifice dotavit, & ornamentis ac dotalibus preciosis decoravit. Quo magis mirum obvenit, quod hanc Episcopi nostri curam atque liberalitatem prorsus silet Rev. RHYZELIUS (in vita ejus); qui de *Conradi* quoque consilio minus commode memorat (683.). Anno 1471 Capellam hanc (sive Sacellum hocce) fuisse perfectum, ex annotatione Petri Petri supra (p. 605 not. 659) allata didicimus: unde intelligitur, male MESSENIUM hoc opus ad a. demum 1476 retulisse (Scand. T. X p. 21). Aliorum etiam (amicorum suorum) liberalitatem huic suo consilio subvenisse, reperi-  
mus

---

(682) Cultum igitur Divinum in Ecclesia Numinis per constitutos Vicarios perpetuos postea celebratum fuisse, verisimile est: quales in Russo fuisse, supra vidimus (p. 406 not.); cfr. etiam supra p. 253 not.

(683) De Episcopo nempe *Conrado* scribit: "Han tilsatte dock visse Sångare som alla dagar skulle sprunga Jungfru-Mariæ horas Canonicas, förordnades them till kriget underhåll the vanliga Pastoraller af Numinis Sokn. "Quam hæc ab Auctoris nostri verbis ac testimo abeant, facile quisque videt." MESSENIUS rectius significat, Horas illas canendas Episcopum instituisse in Sacello quod fundaverat in Divorum omnium honorem. Sed præter altare illius Sacelli, XII alias Ecclesiæ Aboënsis aras initiasse, male ibidem dicit; nisi XII menu-  
dum est typographicum, pro XI?

mus (684). — Non parum vero difficultatis nobis creat; quod hujus Capellæ altarisque lui, prædiorumque ac reddituum ad illud pertinentium, non modo in Libro Rationum Capituli Aboënsis sæpe nobis commemoratarum ac R. Gustavo I exhibitarum, nulla profsus occurrat mentio (quasi omnino non existisset), sed etiam in *Registro Eccles. Aboënsis* prædiorum ei donatorum, (de quibus tamen magnifice adeo Auctor noster loquitur), nulla fere notitia  
K k k k 2

(684) Inter literas quæ ad Monasterium Nådendalense olim pertinuerunt, in Bibliotheca Regia Stockholmensi jam servatas, sequentes occurrunt: "I Herrans nampa Amen. Jach Knuth Posse Väpnare och „Höfvidsman på Kastilholm på thenna tijdb, kennis och kungör, thät „jak medh godhan vilja och beradno modhe, medh mijne ålskelige „Huusfrues Briggta Götzstafz dotters jaa, samptykkio och godvilia, „hafver undt och gifvit och medh thetta mit närvarandes opne bref „unner och gifver, alle Helgone Capella i Åabo Dömkyrkio, Gudi till „loff och åra, Jonſru Mariæ, sancte Jacob och alle helgona i hym- „meriske, fore min och minne föräldra siälegagn, til een evige messe „uppehelle i föreskrifna capella, alt mit köpe goodz i Talliala by lig- „giande i Kalvala Sokn i Säxemäki häredhe. Ty afhender jak mik „och minom arfvom, och allom androm, shoo the helst kunno vara, „föride godz, boo och boskap, medh huus och tomt, aker och ång, „skogh och skiu, uthmarker, fiskeytan och åre-skogh, quarn och „quarnestada, torp och torpestadha, och medh alla andra tillagor och „uthagor, thät thy nw tilhörer åller af alder tilhört kafver, åller och „upspörries kan, och tilegnar thet föride alle helgone Capelle till ewer- „deliga ågo. Til meera visso och vitnesbördh, bedher jagh årliga och „välbördiga man Godeke Nielsson och Törsten Björnsson, Väpnere, at „hängia tkeras incigle medh mine egne nidhan undher thätte bref, „som skrifvat och gifvet är i Abo anno D:ni Millesimo quadringente- „simo nonagesimo quarto, in crastino passionis b. Henrici Episcopi & „Martiris." Exscriptimus has literas ex Apographo, cura ÖRNHJÄL- MII olim (non maxima diligentia, in primis quo ad veterem orthogra- phiam) confecto, quod inter monumenta Reg. Academiæ Histor. Anti- quitt. & Liter. Humanior, servatur. Autographon in Regia Bibliotheca Stockh. reperiri putamus.

ea exhibeat (685). Quam rem explicare haud valemus.  
Plura in dicto Sacello fuisse altaria, ex verbis Auctoris  
nostris

(685) Adest quidem (Fol. 254) titulus, *Copie litterarum Capellam  
Omnium Sanctorum concernencium.* Sed nullæ tamen tales reperiuntur  
literæ, nisi illæ quibus *Helvicus Stoltefoth* (cfr. supra p. 440 not. 395)  
anno jam 1418, adeoque longe ante hanc Capellam fundatam, Ecclesiæ  
Cathedrali ad ejus fabricam (ut tuin loquebantur, b. e. ad ipsum ejus  
ædificium exstruendum & reparandum) prædium suum *Ventila* (Parœ-  
cia Lundo) legaverat, quæque eadem jam Fol. 124 descriptæ habentur.  
Inscriptio tamen iis hujusmodi nunc præmittitur: "Littera Donacionis  
„Dni Heluici super predio Ventila pro altari Omnim Sanctorum. 1418."  
Forte huic altari postea tributum fuit, ob verba donatoris, quæ eum  
tamen sensum non involvabant. Initium nempe literarum tale est:  
"Fore allom them thetta bress höre eller fee, kennis jach Heluich Stol-  
„stefoot, Kirkihefre j Töffuesala, met teslo myne opne bressue, at jak  
„met godan wilia och berodno modhe, epter myne vener och frender  
„srodh och samtickio, bauer vnt och gissfuit och met allom råth uplatith  
„j. Gudz beder oc alle Guds helgone, oc sancti Henric, Domkirkionne  
„j. Abo, tiil henne byggningh, före myna föräldra siala och myna, alt  
„myt Godz j Wentialaby i Lunda Sokn lighiande" &c. Cæterum, cum  
toto deinde Folio (254) nullæ aliæ, præter breves has literas, reperian-  
tur; cæterarum descriptionem, impedimento aliquo interveniente abrupta-  
m fuisse, credas; unde lux uberior huic rei præcepta fuit. Domum  
tamen in Urbe ad hanc Capellam pertinuisse, sequentes literæ testan-  
tur: "Vi Kort med Gudz (nadh. &c.) oc Capitulum ther sama stadt  
„Kennomps och Kungörom, at vj haffiuom samtigth, fulbordat oc stadt-  
„fæst the gordha oc tompthe skipte, som giordh åro mellan all Gudz  
„helgone altare, Sancte Ericx altare oc Hans Guldsmehd j Abo, swa at  
„Hannus anamade tiil sigh sancte Ericx tompth pa hörnet näf hans  
„gambla tompth, oc han uploth all helgon then tomptena som ligger  
„mellan hans gord oc alle Gudz helgone Stenhues, som är - - - -  
bred, oc sancte Ericx altare beholle alle Gudz Helgone gord, som hu-  
„siru Elin aff Serkitax och hännes årwingia hade gissfuit under for:de  
„alle Gudz helgone altare. Huilken tompth är - - - - bredh och - - -  
„upa långdhen. Tiil mere vislö och vitnisbyrdh latom vi hengia vort  
„Secret nedhan for thetta bress. Datum Abo anno Dni MCDLXXX  
„octavo, prima die mensis Aprilis. &c." (Reg. Eccles. Ab. Fol. 182).

nostri fere colligas: " & sepultus est (Episc. Magnus III) in  
 „Sacello Omnis Sanctorum, ante altare S. Salvatoris" &  
 Sed nonnisi unius Registrum Eccles. Ab. meminit (685).

sss). Aperte Auctor noster Lapidem æneum h. e. laminam  
 sepulcralem ænam, (en Koppar plåt, en skifva af Koppar  
 eller Metall (687),) qua sepulcrum, lapidis loco tegerecur,  
 ad Chorum Corporis Christi, de Flandria afferri curasse,  
 & supra sepulcra duorum Episcoporum, videlicet Magni (Fa-  
 vast) & Olavi, collocasse, testatur. Unde igitur haurerit  
 suum then store Kopparstoden Rev. SPEGEL (Svenska Kyr-  
 ko Hist. II Del. p. 397, in vita nostri) expisci non po-  
 tuimus; quem temere, et si meliora aliunde facile per-  
 cipere licuit, contra concordem veterum auctoritatem se-  
 quitur Rev. RHYZIUS, habens en kostbar Kopparstod. Jam  
 a. 1466, cum adhuc eslet Praepositus, Magnum nostrum  
 hanc rem perfecisse, MESSENIUS dicit, Secund. I. c. (quem  
 reliqui sequuntur), idque sumtibus Cathedrae (quod impen-  
 sis Ecclesiae Cathedralis interpretantur) fecisse alibi (Chron.  
 Episcopor. in vita nostri) addit; qua de re utraque, no-  
 stra quidem monumenta nihil commemorant.

ttt). De Canuto Posse, viro summis in Patriam me-  
 ritis clarissimo, cfr. VON STIERNMAN Höfd. Minne II Del.  
 V. Bok. 4 Cap. VI B. I C. IX B. I. C. (in Fol. Hebd.  
 Ab. a. 1785 Append. p. 214 sq. & p. 234, Cel. GJÖRWELL  
 Svenska Mercur. a. 1557, mens. Sept. p. 271 sq.) Præfectu-  
 ram Castelholmensem. (f. Alandiæ) a. 1466, 1484, & 1494  
 K k k k 3 geslis.

(686) L. l. nuper c. c.

(687) En Koppar-håll non male MESSENIUS Chron. Rhythm.  
 Finl. p. 3. Minus commode in Chron. Episcopor. Cippum æneum vocat.  
 laminam vero ænam recte Secund. T. X p. 20.

gessisse reperitur; *Croneburgensem* (i. Tavastia) a. 1481  
1486 & 1487 (688); *Wiburgensem* a 1483, in qua urbe  
a. quoque 1495 contra Russos defendenda egregiam præ-  
stítit operam. A. 1487 arcem *Raseburgensem*, quam vi-  
dua *Laurentii Axelii* (Tott) tenuit, expugnatam Regni  
Administratori (Stenoni Sture) restituit; cui etiam Goth-  
landiam occupaturo suppetias attulit (689). Inter Regni  
Senatores a. iam 1473 comparet (690), classi Armigero-  
rum (Björnar) semper annumeratus, utpote qui Sturii  
constans amicus, ad Equestrem (Riddare) dignitatem nun-  
quam pervenit (691). Inter res suas gestas nulla cele-  
brior est clade Russorum, ab oppugnatione urbis Wibur-  
gensis sua fortitudine & arte repulsorum; quod facinus  
multis mirabilibus auctum figmentis (692), Magicarum  
etiam

(688) Est quoque nobis ad manus apographon Literarum Oldvi Johannis (Olaff Jónissons) Judicis Territorii Säxmakiensis, a. 1479 da-  
tarum, quibus scribendis adfuisse & Sigillum suum appendisse dicitur  
*Årtik ok vältboren mann Knwt Posse, Hoffvitzman på Croneborgh;* nisi  
in anni nota error insit?

(689) Vid. *Chron. Rhythm.* Majus p. 524, §25, 526. Nec dubium vi-  
deri potest, quin expeditioni adfuerit, quam *Swanto Sture* contra Iwan-  
gorodiam a. 1496 suscepit. Cfr. l. c. p. 550. Ac in Prælio Brunkeber-  
gensia a. 1471 insignem præstítisse fortitudinem constat. OL. PETRI Chr.  
ad h. a. cfr. V. DALIN *Svea Rikes Hist.* II. Del. 18 Cap. 19 §. p. 779.

(690) Vid. HADORPHII Append. ad *Chron. Rhythm.* p. 281. An-  
no jam 1470 haec dignitate auctum fuisse, ait Nob. UCGLA (*Svea Ri-  
kes Råds-Långd*) P. III N:o 612 p. 62.

(691) Nisi inter multos illos Equites auratos locum forte invenit,  
quos R. Johannem a. 1497 creasse, constat? (Cfr. VON DALIN l. c.  
C. 19 §. 20 p. 836). Nulla enim monumenta, quæ *Posse* nostri me-  
minerint, ab eo tempore usque ad mortem suam nobis hæcenus inno-  
tuerunt.

(692) Cfr. BAHDE Diss. mox citandæ p. 13-18; STIERNMAN Höfd.  
Minne II D. IX B, I C. in Fol. Hebd. Ab. a. 1785 Append. p. 235-239,

etiam artium infamiam ei, a posteritate eredula, comparavit (693). Recte scil. observarunt viri docti, nullam talium artium ab eo adhibitarum mentionem in monumentis coævis fieri (694), sed fabulam insulsam multo post, ex fama plebeja ab hominibus superstitionis, credulis, ingenique obtusioris temere arrepta atque propagata, fuisse enatam (695). Non est improbatum, hostes, partim per turris partem bombardis discussam irrumptentes, casu hujus a nostris incensæ horumque resistendi callida audacia turbatos, terrore fuisse panico captos, ac effuse fugientes magnaue strage affectos, ipsos (ut & nostros) putasse, non sine coælesti ope contingere hæc potuisse: unde apparitionum, iis temporibus plebi superstitionæ sæpe

---

(693). Cfr. Disf. M. ANTONII BAHDE de Tonitru factitio *Viburgen*, p. Præside Nobil. JOH. IHRE Ups. 1740 ventilatam, p. 7 sq.

(694) Nihil hujusmodi habet *Chronicon Rhythm.* Majus, rem diligenter persequens, p. 541-544; nihil OLAUS PETRI *Chron.* ad a. 1495; nihil noster Episcopus Magnus Nicolai in Literis ad Archiep. Jacobum Ulphonis ap. v. STIERNMAN (*Tal om de Lärde Vetenskäapers tilstånd i Svea rike under Hedendomis och Päfvedöms tiden*, p. 68 sq. not.). Cfr. BAHDE l. c. p. 9 sqq. v. DALIN l. c. §. 14 p. 823, & *Anonymous* qui Historiam Svec. Nobilissimi LAGERBRING continuare aggressus est (*Kortfattn. af Sven Lagerbring Svea Rikes Historia*) ad a. 1495 p. 63.

(695). Qui statem & narrationes Auctorum qui de hoc facto gerunt, conferre voluerit, facile deprehendet, famam de magicis Possi artibus, ex plebeja & absurdâ traditione diu post ortam, versus finem seculi demum XVI in lucem prodiisse. Ad quam refutandam si argumenta adferre opus esset, vel hoc sufficeret, quod opinatus ille Magnus non modo insignem liberalitatem erga ecclesiam Aboensem demonstraverit, atque summis suæ statis viris (inter hos Stenoni Pro-Regi) carus honoratusque fuerit, sed etiam, teste Auctore nostro (qui impensis eundem laudat) amicus sincerissimus Episcopi Magni, viri pii ac morum gravitate præclarus.

pe visarum aut fictatum, varie comminiscendarum locuples oblata fuit materies (696). Neque tamen repugnabimus, si cuniculo pulvere pyro impleto (Mina turrim, cum hostibus illam occupantibus, fuisse disiectam, atque inde hos vehementer convertitos, quis docuerit? Cæterum insolitam atque mirabilem aliquam causam, ad tam conurbationem pariendam, non semper necessariam fuisse, Historia testatur (697). Nimis autem aper-

(696). Auctor antiquissimus & gravissimus, Episcopus noster *Magnus Nicolai*, in literis nuper laudatis<sup>\*</sup> (Not. 693), datis a. 1496 ex curia sua Korois ipso die Epiphaniae Dni (6 Jan.), visam ait Russis, urbem expugnatibus, hanc plenam armatorum, licet præsidium Svecicorum minime esset numerosum, ac sub cœlo ignitam crucem b. Andreæ. Fortassis vel parhelio viso, vel cum summo in ne (*Chron. Rhythm.* cit arla morgon) urbem agressi sunt, auroræ boreali, hoc phantasma ortum debuit? Cumque dies esset Apostolo Andreæ sacer, ejus crucem in illo agnosceré phænomeno, difficile non fuit! Cui reliquias species, terrore excita phantasia, facile mox associavit. Vehementes illius fragoris, (*Wiborgska Smållen*) quem arte sua *Possum* excitasse recentiores tradunt, neque Episcopus, neque *Chronicon Rhythm.* (reliqua multis exponens p. 541-545) neque *OLAUS PETRI* l. c. ac ne *MESSENIUS* quidem in Scondia (T. IV p. 50 T. X p. 22) vel verbulo meminerunt; tantam rem, si de illa quidquam inaudivissent, haud facile silentio involuturi. Cfr. *Anonymous continuator Historiae Lagerbringianæ* l. c. Cæterum literas Episcopi nostri, apud *STIERNMANNUM* l. c. fœde corruptas (quod ipse alibi fatetur, cf. *Fol. Hebd. Ab.* a. 1785 Append. p. 239), utpote ab homine descriptas in veteribus monumentis legendis & explicandis, ut apparet, prorsus imperito, infra legendas bimus saniores & accuratius propositas.

(697) Quamobrem eo minus necesse est, simplicem veterum narrationem conjecturis vel commentis quibuscumque angere; coque nomine parum nobis placet ratio Dni *BAHDE*, qui l. c. (p. 13) putat antiquiores scriptores nonnullas rei cuiuscircumstantias, ut inventratam magia suspitionem ab illustri adeo persona averterent &c: que non modo gratis asseruntur, sed etiam novum de Magia *Possii* figmen-

te & nostris (698) & Rusorum monumentis (699) re-  
L III pugnat

tum, *inveteratæ suspicionis* nomine, contra fidem veterum, ornant. Veremur etiam, ne quæ de apparatu *Posſii* Chemico ibidem (p. 8 & 21) dicuntur, ad fidem insulso eidem figmento fenerandam, postea confabricata sint? Quem magnum fuisse virum ac heroa, licet Chemica artis rudem, facile credere licet. Neque etiam, quibus testibus (scriptoribus veteribus atque idoneis) doceri queat, nobis quidem innocentius, *Posſium* Academiam Parisinam ad perdiscendas liberales artes adiisse (BAHDE l. c. p. 7, & Dis. ADOLPHI FRID. KIELLIN de statu rei literariae in Svecia per tempora unionis Calmariensis, Lundæ a. 1772 Praefide Nobil. LAGERBRING editæ p. 20): quod consilium rarissime Optimatum fuit, nisi qui Ecclesiæ ministerio se addixerant, suscipiebant. Nec aliud quidquam, nisi studium posteriorum, fidem qualemunque rumori populari de arte *Posſii* sive Magica sive Chemica comparandi, demonstrare nobis videtur conservatus diu in arece Viburgensi Lebes ille magnus, (sive muro arcis, ut alii tradunt, insertus) Cfr BAHDE l. c. p. 21 et *Fol. Hebd. Ab.* l. c.: quem olim vel nostro excoquendo vel alii tali usui inserviisse, utique credas.

(698) Usum pulveris Pyrii in septentrione recentem non fuisse, ac in Svecia ante finem seculi XIV cognitum; tertio seculi XV decennio inter merces civium Stockholmiorum commemorari; eodem tempore bombardas (*Canoner*) ibidem fundi jam consueisse, & circa medium seculi fabricatores pulveris tormentarii ibidem jam repertos fuisse; accurate docet Cel. MURBERG (*Aunärkningar om Krutets ålder och bruk*) in Actis R. Academiæ Literar. Humanior. Hist. & Antiquit. T. IV p. 329 sqq. Quin usum pulveris pyrii, scopetorum & bombardarum, Russis adeo non fuisse incognitum, demonstrant cum Literæ Magni Episcopi sapientia laudatae, tum *Chronicon Rhythmicum* (l. c.), ut hujusmodi machinis & multis & magnis eosdem in ipsa hac oppugnatione urbis Viburgensis esse usos, expresse testentur: quod testimonium Antonii coxvi (*Chronici Rhythm.*), erroris arguere haud debuerat Nob. v. DALIN (l. c. p. 824 Not. 10), qui ipse, ut hypothesi suæ serviat, in vitio est manifesto.

(699). Docet Cel. MÜLLER (*Sammlung Russischer Geschichte*, Band p. 491) Ariſtotelem Bononiensem a. jam 1473 Muscovia fuisse, ac Russos artem bombardas fundendi iisque utendi docuisse; quibus etiam a. 1482 contra Livonos usi sint. Sed ille, Dalini errorem corrigens,

pugnat Nobiliss. VON DALIN, qui (l. c. p. 823) vim pulveris pyrii, in reliquo septentrione hactenus parum notam, Russis plane incognitam fuisse asserens, inde rationem eventus hujuscet deducit. — Præmii loco ob merita in patriam; cum alias tum in primis obsidionis hujuscet Viburgensis tempore demonstrata, *Possio nostro Angermanniam & territorium Åsense in Westrogothia* (700), feudi jure a Senatu Regni concessa sunt. — Scriptores Russici parum & de obsidione hac & de toto bello a Johanne Baslide l. contra Svecos gesto, commemorant, ita ut ex iis nihil fere opis ad historiam ejus illustrandam haberi queat (701). Inter nostros autem auctores veteres, de tempore obsidionis & suscepτæ & finitæ, disensio quædam levis intercedere videtur (702). — Annum mortis

---

hujus tamē fide usum pulveris pyrii & bombardarum tum demum apud Svecos incepisse (serius sc. quam apud Rusfos?) asserit.

(700). Non totam *Westrogothiam*, ut prodere videtur Anonymus continuator Hist. *Lagerbringianæ* l. c. Concessum autem ei fuit hoc feudum (una cum prædiis Coronæ quæ pater suus in Dalia Westrogothiæ habuerat) ad dies vite, hæredibusque suis proximis per annos XXX post ejus mortem. Vid. Litteras R. Senatus apud Dn. BARDE l. c. p. 22 sq. Cfr. v, DALIN l. c. p. 824 & Cel. GJÖRWELL *Sv. Mercurius* l. c.

(701) Meminunt Ill. MÜLLER l. c. atque maxime copias Novogrodensium, duce inter alios Jacobo Zachariæ (*Sachariitsch*), imperatore magnæ apud suos famæ, justu Magni Ducis, Viburgum oppugnasse, docet.

(702) A feriis divi Matthæi Euangelistæ (d. 21 Sept.) ad ferias S. Andreae, (d. 30 Nov.) Possum obsidionem Viburgiæ peritulisse, Auctor noster diserte testatur; die demum S. Andreæ ipsam illam vehementem Russorum impetum contra urbem factum esse (qua de re omnes consentiunt) innuens. *Chronicon Rhythmicum Rusfos*, post infelicem oppugnationis eventum, nocte S. Barbaræ (d. 4 Dec.) inde su-

tit *Posse* nostri, JUUSTENI verba aperte produnt (703). Cæterum amicitiam hujus herois cum Episcopo *Magno*, ab Auctore nostro celebratam, non modo liberalitati suæ in Capellam ab hoc institutam (qua de re nuper, not. 684 commemoravimus) ansam dedisse, sed alia quoque benignitatis suæ in Ecclesiam Aboensem documenta periperisse, credi potest (704): quem in his oris mortuum sepultumque fuisse, ex iplis verbis JUUSTENI non absurde colligas (705)?

## L 1112 De

gisse narrat (p. 544). Literæ autem Episcopi *Magni*, obſidionem illam ante festum, b. Annæ quod apud nos XVII Kal. Januarii (d. 15 Dec.) celebratur, fuisse disolutam, asserunt. Quia conciliari ita fortassis poterunt, ut jam mense Septembri hostes urbem cingere atque commeatu private inceperint (cfr. *Chr. Rhythm.* p. 236, 537, 538), sed præcipua oppugnationis vis in fine Novembris eruperit, cuius eventu infeliciter territi, nec ulterius pugnandum esse decreverant, ymmo post hoc ad recedendum occulte se disponebant (ut verba audiunt Episcopi). Quamobrem exercitus hostilis, Olofsburgum invasurus, die jam 4 Decembris, a Wiburgo recessit; parte tamen copiarum, ad urbem molestam, in vicinia ejus relicta, donec in medio Decembris, omnes tandem abirent?

(703). Annum igitur (1500) & diem (25 Martii) quo *Canutus Posse* obiit, fide Auctoris nostri tuto definire potuisset Nobil. UGGLA l. c.

(704) Reperimus eum Domum Ecclesie Cathedrali in urbe Aboensi donasie ("Litze vorefw garden, som Kirken fick aff Knvt Posse, liggenis ginnooth Gertrud Karwotaska pa Fågatan", in *Registro Eccles. Ab.* vocatur (Fol. 270), & CXL *Marcis* estimatur).

(705) Magnam præterea in Finlandia vitæ partem egit: cuius reliqua supersunt documenta. Inter quæ memorabiles sunt Literæ Stenonis Sture, data a. 1485 d. 5 Aug quibus testatur *Possum* non modo rationes accuratas reddidisse pecuniae 1000 Marcarum, quam pen-

De toto hoc bello Russico, Finlandie admodum funesto, multis agit *Chronicon Rhythmicum Majus*, p. 536-554 (HADORPHII Append. p. 343 sq. nec non Nobil. v. DALIN I. c. p. 812, 818 sq. 822-829). In vetustis quibus-

dere quotannis debebat, quandiu *Tavastburgum* cum sua ditione obtinuit, sed etiam redditum ex Arcis Viburgensis ditione, quandiu illam (antea) obtinuerat, perceptorum. Etiam suis Literis Senatus R. cum liberavit omni accusatione et ratione porro reddenda munerum suorum publicor., confirmans literas sibi ante dataς (*Jomfruhann* d. 9. Aug. ej. a.) Servantur in Bibliotheca Regia Stockholmensi. Ubi etiam videlicet habetur, a *Jacobo Petri* (*Jeppe Persson* Legifero Fenniae Austris (Vicario?) a. 1482 ex ratum, literarum *Johannis Petri* (*Hans Pehrson*) Judicis Territorii Hololensis, quibus hic *Canutum Posse*, ex testimonio incolarum parcerias Tavasticas *Hanko* & *Tuulis* habitantium, omni culpa liberat eadis, cuius particeps fuisse arguebatur. — Obliti nuper suimus significare (not. 695, 696 aut 697), putidos illos rumores, quos exemplari suo *Chronici Olai Petri* MS. versus finem seculi XV adscripsisse Pastorem Ecclesie Stenby Ostrogothiæ *Jonam Klint*, docet Nob. v. STIERNMAN (Vid. Fol. Hebd. Ab. I. c. p. 236 sq.), neque MESSENIO fuisse ignotus; e cuius Schedis *Sigfridum Aroneum* (*Forssum*) eosdem in vita Episcopi *Magni* (nostri) legendos exhibuisse testatur PALMSKÖLDIUS (*Archiv. N:o XIV Topogr.* T. LXI Carem, p. 295), easdem nugas adferens, quas ex *Klintio* protulit (l. c.) STIERNMANNUS, atque hæc modo verba interserens: "Sjelfwa dhen Kettlen hwaruthi smälلن till-, reddes, såsom ock et Kókswerdh, thermedh en Kock skall hafwa „många af Rysfarne nederlagt, wijfes ånnu i dagh på Slättet. Georg. „Haveman de Wiburgo Oratio, edita Dorpati 1694." Vel illa de duplice urbis obsidione, a qua utraque *Posse* Rusfos artibus suis depulerit narratio, quam parum fidei rumor hicce mereatur, satis prodit. Ipse MESSENIUS contentus fuit, Scandiae T. X p. 22, scripsisse, Rusfos a Viburgo per admirabile quoddam Canuii *Posse* Stratagema fuisse depulso; T. IV p. 50, funesto sub turibus fumo excitato, plurimos hostium ex superioribus illarum tabulatis acriter pugnantes, suffocasse, fugasse, obsidioneque urbem liberasse, dicit, *Chronici Rhythmicu* narrationi simpliciter insistens, nullaque fragoris illius mentione injecta; in *Chronico autem Rhythm.* Finn. cum eadem fere adduxisset, hand-

busdam monumentis hoc bellum, ob diuturnitatem & vehementiam suam, nostratis audit *Rusfium bellum magnum*; in quo Episcopus etiam noster, ad patriam defendendam, & opem & curam laudabilem Reip. exhibuit (706). An vero Administrator Regni *Steno Sture* omni culpa illius negligentius & legnius gesti, atque hinc permisæ hostibus potestatis Fenniam crudelissime vastandi (707), prorsus liberari posit, dubium videri queat (708)? quamvis &

L 1113

Epi-

insulæ addit: *Thetta var Smållen i Wiborgh, som gjorde Rysen sådan forgh.* (p. 41; cf. Fol. Hebd. Ab. l. c. p. 237).

(706) Præter eam quam supra laudatæ Literæ fuæ testantur harum rerum curam, idem confirmat *Chronici Rhythmici* narratio de 50 militibus Episcopi *Magni*, qui in eruptione a *Posjo* ex urbe Viburgensi contra Russos facta, occubuerunt. (*Chr. Rhythm.* p. 538.)

(707). Totam Careliam, Savolaxiam, magnam *Tavastia*, & quan-dam *Nylandia* partem, nec non *Ostrobothniam septentrionalem*, crudelissime fuisse igne ferroque vastatas, & incolas barbarica fævitia afflictos & occisos, docet (præter Auctorem nostrum) *Chron. Rhythm.* suo more canens: (p. 548) *Kareel, Savolax, halft Tavasteland ligger öde; Ther ware no ingen boo, Hwæke hund, hane eller koo. Hoo kan sik ther huijla? Landit ligger öde mer än 80 mijla.* Cfr. p. 536, 546 sqq. & HADORPHII *Append.* p. 343 sqq. VON DALIN l. c. p. 812, &c. MESSENIUS *Second.* T. IV p. 48 sqq. T. X p. 22, & *Chron. Finl. Rhythm.* p. 40. (quo loco, ut & *Scondia* locis laudatis, nomina Territoriorum Carelicorum misere corrupta, ita restitu debent, ut pro *Laskis* l. *Laschis* l. *Lasche* legatur *Jäskis*, & pro *Egreste* l. *Egrepe*, *Euråpå* l. secundum Carelicam dialectum, *Egråpåd*).

(708) Minus favente de consiliis atque diligentia sua judicare videtur Auditor *Chronici Rhythmici* p. 537, 538, 540 sq. 545, 547, 550, 552 (554?) & OLAUS PETRI, *Chron.* ad a. 1495 & 1496; cfr. Anonymus continuator Historiæ Lagerbringianæ, ad eosdem hos annos. Ac sane sollertia satis, promta, idonea & sufficientia ad Finlandiam ejusque fines contra favorum horum hostium irruptiones tutandos, consilia & adminicula capta atque adhibita non fuisse, res ipsa docet; si etiam Proregi infelix ac perniciosum non minus quam turpe consilium, Russos Fenniæ partem quam postulabant concedendi, (quo melius regnum

Episcopum nostrum (709) & alios præclaros viros natus  
sit defensores (710).

Præ-

Svecia, ac suam in primis auctoritatem & munus eminens, contra Regis Johannis molimina tueri viseret), haud tribuamus. Cfr. MESSENIUS Scand. T. IV p. 48-53, ad a. 1494-1497.

(709). Quam hic fuerit sollicitus, de fama Sturii contra adversariorum suorum criminationes tuenda, literæ sue ad *Magnum Laurentii*, Praeceptum Viburgensem siveque socios qui urbis arcisque hujus præsidium suscepserant, etc. satis superque demonstrant, quibus favens & benignum testimonium in causa ejus, ab illis efflagitat, quasque, cum egregiam huic rei lucem afferant, ex apographo veteri descriptas hic adponere placet: "Vi Magnus med Gudz nåde Biscop i Abo, helsom eder oss elskelige *Magnus Larensen*, Fougte på Wijborg, och flere, the gode män och dandefvenner, som ligge i Slottzlofven ther sammaßadz, thesslige Borgmestere och Rådh i Wijborgz stadh, och vore Landzprovest i then landzände, kårlige med Gudh. Käre vene, skal eder witterligt ware, at vår Käre broder Herr *Sten Sture*, Riddare och Hoffmestere i Sverige, haffuer ofte och tijdt iblandh andre åren, de rört och talat med oss om then skada och föderff som skedd är på thenne fattiga landzände aff the omilde Rydzer i thenne förlidne åhr, och fructer han endelis före, att några skola wara the som hom nom vele föriwie och förkaste, at thet skulde wara hans breff och försunelse at sådanne skada skedt år, och att thenne landzände ey bleff unsatt i tijah och i thyma år: hvilket medh Gudz hielp doch icke besfinnes i sanningen, när thet komber til en rått ranfakan. Hvarföre då bedie wij eder, att i hafwe almogen tillhopa ther i lahnet, och förhörer med them om the vele göra vår kåre broders ursäkt häruthinnan; eller och om någor är then som honom vilde skylda therföre, hvilket oss hopas att ingen biuder til: och när i hafven tongit svar aff them, to scriffuer oss till oförtöftvet hvad the eder svara, under alles edre insigle och flere gode mäns, som ther i then Landzänden stodde är, och sänder oss iodane breff hijt oförtöftvat, hvilket Vif och Vår kåre broder gerna förskylla medh allo godho, och bevisen eder häruthinnan som hans och våre gode troo är till eder, som oss hopas at i och gerna göre. Ider ter medh alsmeectig Gudh e verdelige befallandes. Ex Castro nostro *Kuſha* ipso die beati Clementis anno Domini MCDXCVIII, nostro sub sigillo." Cfr. Fol. Hebd. Ab. a. 1791, N:o 49, ubi easdem inseri curavimus.

(710). Vid, Nobil. v, DALIN 4, c. XIX §. 14 & 15, qui di-

Præcipuas in Ecclesia Aboënsi dignitates, *Magnus* nostro sedente Episcopo, sequentes gesisse viros reperimus: Præpositi munus post nostrum suscepit M. *Laurentius Michaelis Suuripää*, qui eidem deinde in Episcopali quoque dignitate succesit. *Archidiaconi* nullius nomen ad nostram cognitionem pervenit. *Decanum* a. 1492 fuisse M. *Magnus Johannis* reperimus (711). Inter *Canonicos* eminuerunt *Magnus Laurentii* (idem, ut putamus, qui cognomen habuit *Grifefotb* vel *Griffoth*, et *Archidiaconi* postea dignitate auctus fuit?) et M. *Arvidus Kurck* (qui factus deinde fuit *Episcopus*): de quibus infra.

De *Præfetis* Arcium ac Provinciarum Finlandicarum, tempore quo *Olaus*, *Conradus* atque *Magnus* noster Ecclesiæ Fennicæ præerant, alio loco, ex initito, egimus (712). *Legiferos*, quos eodem hoc tempore fuisse in *Flandia*

Ligens magni Viri patrocinium suscepit.

(711) Meminit DIJKMAN *Antiquit. Ecclesiast.* p. 256 literarum, quibus Senatus Regni potestatem belli Russici dirigendi viris quibusdam præclaris, a. 1492 d. 28 Octobr. dedit; inter quos recenset, præter *Canutum Posse*, *Magnum Johannis*, in artibus Magistrum, *Decanum Ecclesiæ Aboënsis* (qui forte primus fuit hac dignitate ornatus?) *Ericum Ragvaldi* militarem, et M. *Henricum* . . . *Canonicum Aboënsi*. Quæ literæ, diligentiori sane dignæ examine, ubi jam deliteant, ignoramus.

(712). Vid. *Fol. Hebd. Aboëns.* a. 1785 Appendix, ubi Stiernmannianum eorum Catalogum supplere et emendare conati sumus. De *Aboënsibus* agitur p. 196 — 205; quibus nunc addimus, *Christiernum* *Benedicti* in *S:t* *Lestad* etiam a. 1457 & 1462 vocari *Præfectum Arcis Aboënsis* (*Höuidzman p: Abo*); *Johannem Haquini* a. quoque 1472 audire *Præfectum Fenniæ Borealis* (*Fowgde i Norrfinne*); *Martinus Johannis* (*Mårten Jönson*) *Advocatus Aboënsis* a. 1480 fuisse reperitur; *Johannes Kyle* non modo a. 1487 & 1488, sed etiam a. 1490 idem munus obiisse, — *Præfedi Tavarstiles* ibid, p. 219 sqq, enumerantur (coll. Cels,

*landia* reperimus, in subjecta nota nominabimus (713): quos, ut et *Judices Territoriales*, non alios fere nisi il-lustri loco natos, electos fuisse atque constitutos, compe-rimus.

De

GJÖREWELL *Sv. Mercur.* a. 1755 Sept. p. 268 sqq.) quibus addendus est Engelbertus Jacobi (Engelbrecht Jäpson) qui hoc munus annis 1448 & 1449 administravit; cui Olaus Nicolai Tavaræ a. etiam 1458 præfuisse reperitur. Male itaque hunc a. jam 1455 obiisse narrat Nob. STIERN-NAN (apud Dn. Gjörewell l. c.); quod vel ex inscriptione sepulchro suo incila (atque a Nob. Elia Brenner, antequam incendio Templi Cathedralis a. 1681 periret, delineata ac in Bibliotheca Regia Stockholmensi conservata patet), quæ hujusmodi fuit: *Anno Domini MCCCCCLX in crastino S. Petri de Cathedra obiit nobilis vir Olavus Thavaræ Miles. Orate pro eo. — Praesedit Viburgenses adseruntur in Fol. Hebd. Ab. l. c. p. 225 sqq.* Addere licet, a. 1458 Bothe Benedicti (Benktson) Ar-migerum, vocari *Herr Iwar Niclison* fogethe in iis partibus; a. 1455 Jacobus Petri (Jäpppe Pederson) dicitur K. Carls Ambitsman här i landet (in Vib. provincia); & literæ Ep. Magni quas nuper attulimus (not. 709) missæ sunt ad Magnum Laurentii Præfectum Viburgensem. Tandem inter Praefitos Korsholmenses s. Ostrobothniae (de quibus ibid. p. 216 sqq.) reperimus a. 1445 fuisse Ingvarum Nicolai (Ingwar Niels-jon, Fogate uppa Karsholm); e cuius antecessoribus nominatur Olavus Henrici.

(713) Legiferi Fenniae Borealis fuerunt, post Henricum Clauuson (de quo supra p. 483 sqq. Not.) 1. Hartichinus Jacobi (Hartik. l. Hartvig Jäpson l. Jacobson) clarus et potens in his terris vir, qui ab a. 1459 ad a. 1486 ei muneri præfuisse reperitur. Antea *Judicem* fuisse *Territorialem* (Háradshöfdinge) invenimus, cum *Territorii Venmœnsis* (a. 1449, 1453 & 1454; nisi Vicarium aliquando egerit?) tum in *Kaland* (a. 1450 & 1451), quod ubi quærendum sit, nescimus. Hunc familiae *Tavaræ* temere inserit BÅNG, (in Schemate saepius citato), cum tamen vel insignia sua gentilitia (Wapen) ad aliam omnino gen-tem pertinuisse doceant, tres quasi domos a parte laterali vilas (gaf-lar), duplii serie (quarum una sursum altera deorsum spectat), linea vel fascia separatas, ostentantia, quæ a superiore sinistra ad dextram in-